

LIBER

Licet enim contrarias secundum matutinum & uespertinum denominationes accipiant, tamen secundum clementum & decrementum minime. Ille uero quas contrarias recte diximus, instituto modo conducent. Duabus enim huiusmodi repertis, punctus medius inter duo loca Solis media certe locus erit longitudinis aut longioris aut propioris eccentrici Mercurij. Nam non possunt accidere hæ longitudines contrariæ æquales, nisi illud sit quod uolumus, ut locus longitudinis longioris aut propioris sit in medio.

PROPOSITIO XI.

Longitudo longior Mercurij siue propior, qua in parte orbis signorum existat depromere.

¶ Dua ad hoc accipiamus considerationes Ptolemæi, in quibus maiores elongationes Mercurij à medio Solis æquales fuerunt, matutina scilicet & uespertina. Harum prima fuit in anno 16. Adriani 16. die mensis Phemini, transacta hora uespertina. Videbatur enim Mercurius descripsisse unum gradum Piscium, a prato instrumento per Aldebaran. Sol uero secundum cursum medium erat in 9. gr. medietate & quarta unius Aquarij. Longitudo itaque eius uespertina à loco Solis medio fuit 21. gr. 15. m.

¶ Alia consideratio fuit in anno 18. Adriani, 18. die mensis Achita transacta in mane diei decimionni. Tunc enim per Aldebaran instrumento rectificato uidebatur in 18. gr. medietate & quarta Tauri, & erat Sol per medium cursum in 10. gr. Geminorum. Fuit igitur longitudo matutina maxima 21. partes, & 15. m. Differentia autem duorum interiorum motuum Solis fuit, 120. gr. 15. m. cuius medietatem si adiecerimus ad 9. gr. 45. m. Aquarij, uenient 10. gr. Arietis, excepta octaua parte unius gradus, quare diameter eccentrici per longitudinem longiorem transiens, secuit orbem signorum in 9. gr. 53. m. Arietis, uisus petebatur cognitio.

¶ Idem quoque per alias duas considerationes Ptolemæi exhibit. Quarum prima fuit in anno primo annorum Antonij pij, 20. diebus mensis ægyptiorum Achita transactis cuius mane fuit dies 21. hora quidem uespertina rectificato instrumento per stellam cordis Leonis, inuenit Mercurium in maxima longitudine uespertina in 7. gr. Cancri, Sole secundum cursum medium existente in 10. gr. 10. m. Geminorum. Erat itaque longitudo Mercurij à medio loco Solis maxima 26. gr. 30. m.

¶ Altera harum fuit in quarto anno Antonij 18. diebus mensis Phemini transactis, in mane diei decimionni. Tunc enim rectificato instrumento per stellam Anchus, que cor Scorpionis creditur, reperit Mercurium in 13. gr. 30. m. Capricorni, Sole per cursum medium in 10. gr. Aquarij existente. Exiuit itaque longitudo 26. gr. 30. m. Differentia autem duorum interiorum locorum Solis fuit 120. gr. 30. m. Cuius medietas adiecta Solis loco medio primæ considerationis, proueniunt 10. gradus, 15. m. Leonis. Per hunc itaque locum diametrum eccentrici per ambas longitudes transeuntem opus est procedere.

PROPOSITIO XII.

Longitudinem longiorem eccentrici atque propiorem quemadmodum stellas fixas moueri.

¶ Ex considerationibus Ptolemæi, & eorum qui ipsum præcesserunt, concludere